



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

LXII. Vt pueri quamdiu sunt parui non accipiantur inter fratres templi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

tia, simpliciter, & non clamose, vt vnus alium non con-  
 turbet, communi consilio iubemus.

LXI.

*Vt fidem seruientium accipiant.*

Agnouimus nempe complures ex diuersis prouinciis,  
 tam clientes, quam armigeros, pro animarum salute ani-  
 mo feruenti ad terminum cupientes in domo nostra man-  
 cipari: vtile est autem vt fidem eorum accipiatis, ne for-  
 te veteranus hostis in Dei seruitio aliquid furtiue vel in-  
 decenter eis intimet, vel a bono proposito repente ex-  
 terminet.

LXII.

*Vt pueri quamdiu sunt parui non accipiantur inter fratres templi.*

Quamuis regula sanctorum patrum pueros in congre-  
 gatione permittat habere, nos de talibus non collauda-  
 mus vos vnquam onerare. Qui vero filium suum, vel pro-  
 pinquum, in militari religione perenniter dare voluerit,  
 vsque ad annos, quibus viriliter armata manu possit ini-  
 micos Christi de terra sancta delere, eum nutriat: dehinc  
 secundum regulam in medio fratrum pater vel parentes  
 eum statuant, & suam petitionem cunctis patefaciant.  
 Melius est enim in pueritia non vouere, quam, postea-  
 quam vir factus fuerit, enormiter retrahere.

LXIII.

*Vt senes semper venerentur.*

Senes autem pia consideratione secundum virium im-  
 becillitatem supportare ac diligenter honorare oportet,  
 & nullatenus in his quæ corporis sunt necessaria districte  
 teneantur, salua tamen auctoritate regulæ.

LXIV.

*De fratribus qui per diuersas prouincias proficiscuntur.*

Fratres vero qui per diuersas prouincias diriguntur,  
 regulam, in quantum vires expetunt, seruare in cibo &  
 potu & ceteris studeant, & irreprehensibiliter viuant, vt  
 ab his qui foris sunt bonum testimonium habeant: religio-  
 nis propositum nec verbo nec actu polluant, sed maxime